



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Svmma Totivs Theologiae S. Thomae Aqvinatis, Doctoris Angelici Ordinis Prædicatorum**

Svpplementvm Tertiæ Partis

**Thomas <von Aquin, Heiliger>**

**Romae, 1619**

Vtrum gradus affinitatis extendantur sicut gradus consanguinitatis? 8

**urn:nbn:de:hbz:466:1-38817**

nam propagatio per se comparatur ad consanguinitatem: quia ex ea immediate consanguinitatis vinculum contrahitur: sed ad affinitatem non comparatur nisi mediante consanguinitate, quæ est causa eius. Unde cum gradus atinentiæ per propagationem carnis distinguantur, distinctio graduum per se & immediate competit consanguinitati, sed affinitati mediante consanguinitate. Et ideo ad inveniendum gradus affinitatis est regula generalis, quod quoto gradu consanguinitatis atinet mihi vir, toto gradu affinitatis atinet mihi vxor.

Ad primum ergo dicendum, quod gradus in propria atinentiæ non possunt accipi, nisi secundum ascensum, & descensum propagationis, ad quam comparatur affinitas, nisi mediante consanguinitate: & ideo affinitas non habet gradus per se, sed acceptos iuxta gradus consanguinitatis.

Ad secundum dicendum, quod filius affinis meæ in alio matrimonio, non per se loquendo, sed quasi accidens, dicebatur antiquitus affinis. Unde prohibebatur à matrimonio magis propter publicam honestatis iustitiam, quam propter affinitatem: & propter hoc etiam ea prohibitio nunc est reuocata.

ARTIC. VIII.

Utrum gradus affinitatis extendantur sicut gradus consanguinitatis?

Ad octauum sic proceditur. Videtur, quod gradus affinitatis non extendantur, sicut gradus consanguinitatis. Quia vinculum affinitatis est minus foris quam consanguinitatis, cum affinitas ex consanguinitate causetur in diuersitate speciei, sicut à causa inueniuntur. Sed quanto fortius est vinculum, tanto magis durat. Ergo vinculum affinitatis non durat vsque ad totum gradus, ad quod durat consanguinitas.

Præterea, Ius humanum debet imitari ius diuinum. Sed secundum ius diuinum aliqui gradus consanguinitatis erant prohibiti, in quibus gradibus affinitatis matrimonium non impediēbat: sicut patet

Hh 4 de

227  
S. affinitatis, in-  
siit de nu-  
prijs.

\*Deuter.  
25. & R.  
th.4.

de vxore fratris quam aliquis poterat ducere in vxorem ipso defuncto, non tamen propriam sororem. Ergo & nunc non debet esse prohibitio æqualitatis de affinitate & consanguinitate.

SED contra, Ex hoc ipso est aliqua mihi affinitas, quòd meo consanguineo est coniuncta. Ergo in quocumque gradu sit vir mihi consanguineus, in illo gradu est mihi affinis: & sic gradus affinitatis computari debent in eodem numero sicut gradus consanguinitatis.

RESPONDEO dicendum, quòd ex quo gradus affinitatis sumuntur iuxta gradus consanguinitatis, oportet quòd tot sint gradus affinitatis, quot sunt gradus consanguinitatis. Sed tamen quia affinitas est minus vinculū, quàm consanguinitas: facilius & olim & nunc dispensatio fit in remotis gradibus affinitatis, quàm in remotis gradibus consanguinitatis.

Ad primum ergo dicendum, quòd illa minoritas vinculi affinitatis respectu consanguinitatis facit varietatem in genere attinentiæ, non in gradibus. Et ideo illa ratio non est ad propositum.

Ad secundum dicendum, quòd frater non poterat accipere vxorem fratris sui defuncti nisi in casu, scilicet, quando moriebatur sine prole, vt suscitaret semen fratri suo, quod tunc requirebatur, quando per propagationem carnis cultus religionis multiplicabatur: quod nunc locum non habet. Et sic patet, quòd non ducebat eam in vxorem, quasi gerens propagationem personam, sed quasi supplens defectum fratris sui.

## ARTIC. IX.

*Utrum coniugium contractum inter affines, vel consanguineos semper sit dirimendum?*

228

Tho. 4. d.  
41. ar. 5.  
Matt. 19

AD nonum sic proceditur. Videtur, quòd coniugium quod inter affines, vel consanguineos est contractum, non semper sit per diuortium dirimendum. Quia quod Deus coniunxit, homo non separat. Cum ergo Deus facere intelligitur quod facit Ecclesia, quæ quandoque tales ignoranter coniungit, videtur